

spicatum β . *tenellum* a). Huc pertinet *Callitriche verna* β . foliis omnibus linearibus, in rivulis et fluviis b), et *Sparganium natans*, var. foliis ensiformibus et erectis in limo c). Potamogetones *tenuifolii* seu *marini*, *Ruppia maritima* β . *rostrata*, "in fretis fluenti mari oppositis." (Wahlenb. Fl. Sv. n:o 207.); cum quibus comparari possunt *Zanichellia palustris* β . *pedicellata*, et *Zostera marina* β . *oceanica*, nec non *Ceratophyllum demersum* β . *submersum*, quæ omnia se in vicem confirmant. Nam ut supra dictum, quo altius

phæa pumila, et pari modo orta. Glacies enim radices *Ranunculi aquatilis* funditus evellit; sed reliquæ i. e. *radiculæ*, ipsæ graciles, gracillimam edunt plantam; quæ tali modo diminuta, præcox quoque facta est: Nam *Ranunculus aquatilis vulgaris* nondum explicavit flores, hujus fructibus jam maturis. *Ran. aquatilis* a, sæpius in alto et in aqua manante nascitur; unde et serius floret, et folia valde elongata et eximie capillacea habet.

- a) Ad analogiam *Ran. aquatili* foliis tenuissimis est hæc *Myriophylli* varietas, quia aut in amnibus rapacioribus, aut in alto fluminum provenit, cum *M. spicatum* a. in stagnis vadosis nascitur.
- b) *C. tenuifolia* (Fries Nov. n:o 277.) "*Seminibus acutangulis et floribus inferioribus pedicellatis,*" dignosi dicitur, quæ mihi necessarius aquæ effectus esse videtur, et ex ipsius plantæ tenuitate sequuntur, non tamquam character diversæ speciei, sed tamquam necessariæ analogiæ inter plantam et fructum vel inter omnes et singulas plantæ partes indicium.
- c) *Sparganium natans*, in fluviis foliis longissimis invenitur, sed plerumque sterilis in hoc statu.